Solen marinus tenuioris teſtæ, ſeu mas maximus valvis inæqualiter longis. Liſt. de Cochl. mar. Angl. tit. 37.

Solenes marini. Meer-Nagel-Müſchlen.

Sunt Conchæ marinæ plerumque æquivalves inæquilateræ, non umbonatæ à cardine tantillùm profundiore, et ligamento nigro oblongo externè nonnihil eminente inſtructo ad oram uſque anguſtiſſimæ, et vix digitum tranſverſum latæ, atque uno latere in lineâ rectâ quàm maximè elongato, altero verò breviſſimo exiſtente, utroque autem in ſuâ extremitate incluſili, ſeu aperto, et hiante: extremitas lateris longioris tantillùm ſubrotundata eſt, brevioris ècontra obliquè præciſa, ſcilicet verſus ligamentum valvas colligans, in qua inſuper fimbria anguſtiſſima obſervatur, externè tantillùm profundiuſcula, in interna autem conchæ parte paululum eminens ſcabroſa, ac inæqualis, quaſi caſu ſuperaddita, et accreta eſſet. ab hac fimbria externè emergunt quamplurimæ fibræ teſtaceæ teſtam ipſam huiuſmodi concharum conſtituentes, quæ quô proximiores ſunt ligamento, eô citiùs tranſverſim reflectuntur, et incurvantur verſus latus cardinis ſeu ligamento inſtructum, donec tandem in extremitate lateris longioris totam valvam occupent, et illam frequentiori ſuâ incurvaturâ aut reflexione longiorem reddant, ac ſimul nonnihil rugoſulam: altera verò media valvæ pars verſus latus ſcilicet ligamento oppoſitum fibris ſimpliciter rectis inſtruitur, ac perficitur; interna Conchæ facies præter prædictam ſcabritiem fimbriæ in extremitate lateris brevioris ſitæ omnimodè alba lævis et ſplendens exiſtit, exceptâ parvulâ apophyſi oblongâ ſimiliter albâ. ac in utraque extremitate dentatâ, quæ ſtatim à ligamento in limbo oræ incipit, et uſque ad extremitatem propagatur, cuius denticuli à foraminulis oppoſitæ apophyſeos alterius valvæ recipiuntur, et ſic valvæ ſimul per gingiymum, et harmoniam clauduntur. externa conchularum ſuperficies, uti iam dictum eſt, rugoſula apparet, præſertim circa reflexionem, et incurvaturam tranſverſam prædictarum fibrarum teſtacearum, quæ etiam ad quandam obſcuram flavedinem vergunt.

Solenes marini tenuioris teſtæ, ſeu Mares dicti. Meer-Nagel-Müſchlen die Männlein.

À Fœminis differunt. I. quòd ſint tenuioris teſtæ, ità, ut quaſi tranſparentes ſint, et ideo etiam longè fragiliores fœminis. II. quòd habeant colores longè vividiores tam quoad albedinem, quàm quoad fuſcum caſtaneum, quibus eleganter variegantur. III. quòd fimbria in extremitate ſita ſit tenuiſſima, et quaſi imperceptibilis, neque internè ita ſcabroſa obſervetur.

Solen marinus tenuioris teſtæ, ſeu mas, longior, et maior valvis quaſi æqualibus, convexus repræſentatus è parte ligamenti, ut illud externè appareat.

Idem concavus repræſentatus, ut ligamentum internè appareat, cum ſuis adiacentibus apophyſibus denticulatis.



Idem minor externè repræſentatus è parte aperturæ, ſed valvis inæqualibus.

Idem minor externè repræſentatus è parte ligamenti.